

SUPREMO TRIBUNALE DELLA SEGNETURA APOSTOLICA, Prot. n. 30315/99 CA, *Iurium*, 28 giugno 2003.*

Prot. n. 30315/99 CA

Iurium

(X - Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae)

SENTENTIA DEFINITIVA
IN NOMINE DOMINI. AMEN.

IOANNE PAULO PP. Il feliciter regnante, Pontificatus sui anno xxv, die 28 m. Iunii a. 2003, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mis ac Rev.mis D.nis Mario Francisco Card. Pompedda, *Praefecto*, D. Simone Card. Lourdusamy et Augustino Card. Cacciavillan, et Exc.mis ac Rev.mis D.nis Iuliano Herranz, Eduardo Davino, Francisco Coccopalmerio, *Ponente*, Thoma Georgio Doran et Xaverio Echevarría Rodríguez, intervenientibus Cl.mo Adv.to Mario Musumeci pro Congregatione pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae atque Societate Y, et Cl.mo Adv.to Henrico Serafini pro X, atque Rev.mo D.no Ioanne Paulo Montini, Promotore Iustitiae deputato, in causa de qua supra, hanc definitivam tulit sententiam.

* A seguito del testo e della relativa traduzione della sentenza, si può consultare il commento di FABIO VECCHI, *Evoluzioni ecclesiologiche e permanenza del primato di regime nel Romano Pontefice*, «supremo amministratore dei beni ecclesiali».

FACTI SPECIES

1. Coniuges d.nus Z et d.na W, SS.mi Cordis Iesu cultui plene addicti, opera apostolica anno circiter 1923 condiderunt, cui populus communiter «Opera XY» (et «X» pro viris necnon «Y» pro mulieribus) nomen dabat.

Duae Societates itinera similia habuerunt sub respectu canonico.

Societas mulierum ab Exc.mo Archiepiscopo N die 24 m. Septembris a. 1958 erecta est in piam consociationem, ad normam canonum 685-686 Codicis Iuris Canonici tunc vigentis. Archiepiscopale decretum statuebat *fundatricem*, d.nam W, quae supremum diem obierat die 11 m. Septembris a. 1956; *sedem*, pagum A; *denominationem*, V; *legem constitutionalem*, pro qua «Regolamento», qui iam eandem consociationem de facto regibat, adsumebatur. Paulo post, i.e. die 5 m. Septembris a. 1964, idem Exc.mus Archiepiscopus, decreto revera sat informi, eandem consociationem erigebat in «Società di donne viventi in comune senza voti», ad normam can. 673 Codicis Iuris Canonici tunc vigentis.

Societatem virorum, instante ipso d.no Z, Exc.mus Archiepiscopus die 3 m. Aprilis a. 1965 in «Società laicale di uomini viventi in comune sine votis», ad normam cann. 673 et sequentium Codicis Iuris Canonici tunc vigentis, erexit. Eodem decreto statuebantur *sedes*, pagus A; *denominatio*, X; *membrorum nomina*, quae in adiuncto albo inscribebantur; *statuta*, quae in iam vigente «Regolamento» habebantur. Eodem die Exc.mus Archiepiscopus societati nuper erectae personam iuridicam donavit: finis praecipuus huiusmodi actus evadebat agnitio personae iuridicae in iure civili P ex

concordato S. Post actum constitutionis consociationis laicalis penes notarium die 30 m. Iunii a. 1965, agnitio reapse evenit die 23 m. Aprilis a. 1966 per decretum Rei Publicae P Praesidis.

2. D.na W emortua, d.nus Z, suae coniugis heres, de omnium suorum bonorum temporalium destinatione agere coepit. Testamentum sua manu scripsit die 24 m. Maii a. 1958, quo heredes ex asse instituit quinque personas físicas, quae ad Societatem X, uti membra, pertinebant.

Statim post erectionem Societatis X in personam iuridicam canonicam atque agnitionis petitionem penes auctoritatem competentem Reipublicae P, testamentum ipse mutavit, die scilicet 31 m. Martii a. 1966, heredem ex asse instituens Societatem X, nuper canonice erectam, quae proxime civiliter agnitionem iri praevidebatur. D.nus Z die 6 m. Aprilis a. 1966 supremum diem obiit, paulo scilicet ante agnitionis decretum.

Per viginti circiter annos pax concordiaeque regnavit inter duos coetus, X scilicet et Y. Cuinam debeatur periodus illa felix, et prius, an revera, secuta inspicientes, felix evaserit, difficile dictu remanet. Moderator Generalis, qui fundatori successerat, d.nus nempe T, res temporales, sed etiam electorales apostolicasque, ita gessit ut ad modum unius omnia evenirent.

D.ni T munus semper renovabatur, ope, uti dicitur, Y, quae partem habebant cum viris in electione Moderatoris Generalis. Ad successionem in infinitum impediendam, prima vice, die 24 m. Iunii a. 1986 mulieres Y, ex Exc.mi Archiepiscopi N praescripto, in legitimis Statutis Societatum fundato, partem

non habuerunt in Moderatore Generali eligendo. Reapse successio illa finem habuit, atque Societas X in Moderatorem Generalem d.num TT (nullo consanguinitatis vinculo cum d.no T coniunctum) elegerunt. D.nus T, uti dicitur, etiam post novi Moderatoris Generalis electionem, suum munus reapse exercere perrexit usque ad suam mortem (mense iulio 1989), sub specie Sororum Societatis Y administratoris.

3. Opus non est, ad nostrum munus explendum, quin percurramus iter paene infinitum (reapse nondum expletum est) controversiarum singularum, quae intercesserunt inter Societatem Y, Societatem X, Exc.mum Archiepiscopum N necnon Congregationem pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, sive in foro canonico sive in foro civili, et, quod gravius, in foro publico per ephemeridum pervulgationem, quaeque etiamnunc pendent. Tantum capita necessaria recolimus, quasi indicem chronologicum praebendo:

- 27 m. Maii a. 1987: Exc.mus Archiepiscopus formaliter mandat Superiorissae Y ut administrationem domus B legitimo et nuper electo Moderatori Generali X tradat. Cui mandato Superiorissa illa resistit. Propter hanc formalem inobedientiam, Exc.mus Praesul custodiam et celebrationem Eucharistiae penes domum B vetat;

- 12 m. Martii a. 1988: Superiorissa Societatis Y apud magistratum civilem criminatur Moderatorem Generalem X, qui domus B possessionem capere contendat, de domicili violatione;

- 5 m. Aprilis a. 1988: Superiorissa Societatis Y ad Exc.mum Archiepiscopum Q provocat;

- anno 1988 et sequentibus: Superior Societatis X ad iudicem civilem provocat, ut in domus B possessionem restituatur atque, progrediente tempore, ut eiusdem et alius domus dominium pro se iudicialiter declararetur. Huic petitioni Societas Y opposuit, inter alia, petitionem dominii ex usucapione. Omnia conamina vel ex parte Dicasterii Curiae Romanae penes X Superiores, ut ipsi actioni civili renuntiarent, incassum cesserunt;

- 16 m. Ianuarii a. 1990: quorundam bonorum immobilium sequestrationem, instante Superiore Generali X, iudex civilis decernit, qui tamen custodem nominat Superiorissam Societatis Y;

- 22 m. Februarii a. 1990: Exc.mus Archiepiscopus N Superiorissae Societatis Y mandat ut ad transactionem die 28 m. Februarii perveniat;

- 30 m. Martii a. 1990: Exc.mus Archiepiscopus N decretum edit, uti primum solutionis conamen, iuxta quod "gli Organi statuari dei due enti provvedano ad adottare, ciascuno nell'ambito delle proprie competenze, le delibere necessarie perché la colonia di C [i.e. in archidioecesi Q] venga assegnata alla Compagnia femminile e da questa posseduta e gestita, e la colonia di B [i.e. in archidioecesi N] venga restituita alla Compagnia maschile e da questa posseduta e gestita". Huic decreto praecesserat quaedam consultatio Y. Hoc decretum nec executioni mandatum nec impugnatum est: tantum Exc.mus Archiepiscopus N, frustra tamen, passim idem urget;

- 13 m. Octobris a. 1990: Congregatio competens Curiae Romanae, ab ovo autem certior de re facta ab omnibus in controversia partem habentibus, de pa-

cifica solutione monet suumque directum interventum minatur;

- 18 m. Iulii a. 1991: Congregatio competens Visitatorem Apostolicum nominat, scilicet Rev. Patrem L, Tribunalis Ecclesiastici Regionalis M Officiale;

- 2 m. Ianuarii a. 1992: Visitationis Apostolicae perampla relatio exhibetur, quae constat viginti et tribus pagellis cum sex adiectis. Eo tempore habebantur 22 Y, 18 X, 7 domus: tribus in domibus habebantur mulieres et viri insimul. Rev. Visitor Apostolicus consulit actum seu interventum resolutorium auctoritatis: "[...] il problema di fondo non è di natura spirituale, ma di potere e di beni materiali [...] L'intervento dall'Alto dovrebbe, a mio sommosso avviso, sanzionare l'attuale stato di possesso chiedendo a chi di dovere di fare quanto occorre per tradurlo in titolo di proprietà valido anche sul piano giuridico civile: ciò comporterebbe che al ramo femminile si dia, al di là del possesso, il diritto di proprietà sulle case da loro abitate, ossia A, D, C, B [...], agli uomini tutto il resto";

- 21 m. Novembris a. 1997: Rev. L, postquam sua opera mediatrix quoad discrimen incassum cesserat, ex parte Congregationis competentis mandatum recipit redigendi exemplum quoddam divisionis bonorum immobilium, quod reapse per amplam relationem eidem Congregationi die 25 m. Maii a. 1998 porrigit. Quod propositum exemplum ad litteram Dicasterium competens sequetur;

- 13 m. Ianuarii a. 1999: Exc.mus Archiepiscopus N sua dubia pandit Congregationi competenti consulenti quoad propositum divisionis bonorum immobilium exemplum; Congregatio, die 30

m. Aprilis, illis dubiis respondere satagit;

- 15 m. Iunii a. 1999: Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae decretum edit, quo ipsa "attribuisce i beni ai rispettivi rami", auctoritatibus Societatum virorum et mulierum mandans "di compiere in modo civilmente valido gli atti necessari perché la divisione dei beni sopra prospettata diventi effettiva". Epistula, eodem die missa ad decretum Superiori Generali X notificandum, eidem iniungebatur "l'obbligo anzitutto di far decadere la vertenza giudiziaria già da lungo tempo pendente presso il Tribunale civile".

Congregationis decisio fine finaliter consistit in divisione bonorum et in assignatione quattuor domorum Societati mulierum:

- domus F sita, in vico v.d. "A", in via quae ducit ad F, cui adnectitur olivetum quoddam, prope situm, in pago v.d. "E". Domus haec in decreto dicitur nunc adhibita tanquam "scuola materna - comunità alloggio per minori";

- domus B in pago G, quae dicitur in decreto nunc adhibita tanquam "comunità alloggio per minori, giovani e nuclei familiari in stato di bisogno";

- domus sita in pago D, cui adnectitur ager quidam incultus in vico H. Quae domus dicitur in decreto nunc adhibita uti "comunità alloggio per minori in particolari situazioni di bisogno";

- domus sita in pago C, quae in decreto dicitur nunc adhibita uti "comunità di alloggio".

Congregationis decretum, quo ipsa controversiae finem imponere contende-

bat, notificatum est die 22 m. Iunii a. 1999; die 24 m. Iunii eiusdem anni Superior Generalis X recursum penes N.S.T. interposuit adversus Congregationis decretum: "Col presente Decreto, ci troviamo davanti ad una disposizione stravolgente che [...] mal si concilia con la amministrazione della giustizia e il rispetto dovuto al diritto inalienabile della proprietà". Illegitimitatis ratio ergo denunciata est in decernendo.

Scripturis memorialibus a cl.mis Patronis Henrico Serafini, pro parte recurrente, die 15 m. Februarii a. 2000, Mario Musumeci, pro Congregatione resistente, die 4 m. Maii eiusdem anni, exhibitis, Rev.mus Promotor Iustitiae deputatus, documentorum quorundam exhibitione obtenta, die 29 m. ianuarii a. 2001 votum pro rei veritate prompsit.

4. Em.mus Cardinalis Praefectus, in Congressu die 27 m. Februarii a. 2001 habito, recursum ad disceptationem coram Em.mis et Exc.mis Patribus Iudicibus Signaturae Apostolicae admisit.

Dubium, cui respondendum est, sub hac formula concordatum est: "*An constet de violatione legis vel in procedendo vel in decernendo relate ad decisionem Congregationis [pro] Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae diei 15 iunii 1999*".

Documentis plurimis ab utroque cl.mo Patrono exhibitis atque Summario confecto, cl.mus Adv. Henricus Serafini die 10 m. Octobris a. 2002, cl.mus autem Adv. Marius Musumeci, nunc autem et Y Patronus, die 16 eiusdem mensis, memorialia porrexerunt et die 5 m. Decembris a. 2002 Rev.mus Promotor Iustitiae deputatus, Rev.mus D.nus Ioannes Paulus Montini, votum pro rei veritate prompsit.

IN IURE

5. In primis videndum est utrum, necne, Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae reapse ipsam proprietatem illorum bonorum, de quibus supra, a Societate X ad illam Y transferre potuerit.

6. "Dominium bonorum, sub suprema auctoritate Romani Pontificis, ad eam pertinet iuridicam personam, quae eadem bona legitime acquisiverit" (can. 1256); "Romanus Pontifex, vi primatus regiminis, est omnium bonorum ecclesiasticorum supremus administrator et dispensator" (can. 1273).

Canones praecitati, iuxta doctrinam admodum praevalem, potestatem uni Romano Pontifici agnoscunt bona patrimonialia auferendi et alteri dandi absque causa et compensatione (cf ex. gr., M. CONDORELLI, *Spunti ricostruttivi per la qualificazione del potere del Pontefice sul patrimonio ecclesiastico*, in "Il diritto ecclesiastico" 69 [1958] I, 113-159; FR. S. SALLERNO, *I beni temporali della Chiesa ed il potere primaziale del Romano Pontefice*, in *I beni temporali della Chiesa*, Città del Vaticano 1999, pp. 103-139), i.e. veluti potestatem, quae domino competat.

Eadem autem potestas haud competit Congregationi Curiae Romanae, plures ob rationes:

a) canones praecitati accuratius (cf enim can. 1499 § 2 Codicis praecedentis) de Romano Pontifice mentionem faciunt, non autem de Apostolica Sede vel Sancta Sede (uti econtra legitur in memoriali cl.mi partis resistentis Patroni). Iuxta canonem 361 in nomine Apostolicae Sedis vel Sanctae Sedis Romanus Pontifex includitur, sed non vicissim;

b) potestas ab altero auferendi et alteri dandi absque causa et compensatione Romano Pontifici competit vi primatus iurisdictionis (cf can. 1273), vi potestatis scilicet quae proprie et directe Romano Pontifici inhaeret, cuius delegatio vel demandatio, si id fieri potest, saltem explicite et expressis verbis constare debet. Quod in casu non obtingit;

c) potestas ab altero auferendi et alteri dandi absque causa et compensatione, etsi in Primatu iurisdictionis fundata (cf can. 1273), Romano Pontifici pertinet veluti "quasi-domino" bonorum omnium ecclesiasticorum (cf J. HERVADA, *La relación de propiedad en el patrimonio eclesiástico*, in "Ius canonicum" 2 [1962] 425-467; A. PERLASCA, *Il concetto di bene ecclesiastico*, Roma 1997, pp. 54-77, praesertim pp. 74-77, atque, sub quodam respectu, V. DE PAOLIS, *I beni temporali della Chiesa*, Bologna 1995, p. 82 ["Egli in quanto sommo pontefice gode di tutti i poteri amministrativi di cui godono gli amministratori delle persone giuridiche"]; non omnibus haec denominatio placet, sed congrua doctrinae pars tenet Romano Pontifici competere iura quaedam dominicalia in omnia bona ecclesiastica, etsi non sit ipsemet dominus [cf J.-P. SCHOUPE, *Elementi di diritto patrimoniale canonico*, Milano 1997, pp. 31 s., cit. in FR. S. SALERNO, *I beni temporali*, cit., pp. 116-117]); non apparet quod haec condicio communicata sit cum Congregatione pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, quae tantum in potestate executiva vices gerit Romani Pontificis;

d) articuli 108 § 1 Const. Apost. *Pastor bonus* praescriptum eidem Congregationi competentiam agnoscit quoad

bonorum administrationem. Administrationis autem notio, etiam sensu lato sumpta, usque ad proprietatis ablationem seu translationem extendi nequit. Haud aliter sentire licet etiamsi administrationis notio cum relatione ad Congregationis pro Clericis competentiam explicetur: "Ea omnia exercet, quae ad bonorum ecclesiasticorum moderamen ad Sanctam Sedem pertinent, et praesertim ad rectam eorundem bonorum administrationem atque necessarias approbationes vel recognitiones concedit" (art. 98 Const. Apost. *Pastor bonus*).

Ex his relatis et probatis apparet quod Congregationi haud competit potestas ab altero auferendi et alteri dandi absque causa et compensatione, quae potestas uni Romano Pontifici reservatur.

7. Can. 122 agit de divisione bonorum quae fieri debet post divisionem seu dismembrationem alicuius universitatis, quae gaudet personalitate iuridica publica. Decretum Congregationis actus esset divisionis bonorum, post divisionem sic dictae "Opera Y".

Tamen deest in casu (prae)suppositum divisionis, i.e. universitas, quae personalitate iuridica publica gaudet, iuxta can. 122 praescriptum. Etiam si de s.d. "Opera Y" agi posset, certocertius non ageretur de persona iuridica canonica. Exc.mus Archiepiscopus N Societati X personalitate iuridica ditavit, non autem sic dictae "Opera Y".

Prospectus ergo iuridicus dismembrationis Operae in duas partes, virorum scilicet et mulierum, minime se sustinet in re et in iure.

8. Quaeri potest an sit locus nostro in casu applicationi can. 1299, praesertim sub § 2: «In dispositionibus mortis causa in bonum Ecclesiae servantur, si fieri possit, sollemnitates iuris civilis; quae si omissae fuerint heredes moneri debent de obligatione, qua tenentur, adimplendi testatoris voluntatem».

Nostro in casu enim Congregationis decretum impugnatum intellegi posset utpote adimpletio voluntatis realis (ex iure naturae quoquo modo expressae, etiam implicite) d.ni Z, qui propter rationes mere formales ordinis civilis testamentum confecerat, sua bona Societati X relinquens, quique tamen voluntatem realem habuisset omnia sua bona relinquendi utrique Societati, viro- rum scilicet et mulierum. Quae voluntas, ordinis naturalis, in iure canonico agnosceretur, saltem ex can. 1299 praescripto, quamque Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae decreto impugnato tantum declaravisset.

Quidquid, tamen, est de voluntate reali d.ni Z circa usum bonorum, de quibus in casu, ex parte Societatis Y, in casu simpliciter fatendum est quod, uti probe Rev.mus Promotor Iustitiae deputatus explicat, eiusdem d.ni Z voluntas realis, ut Societas Y ipsam proprietatem illorum bonorum obtineat, per tabulas haudquaue probatur.

9. Quaeri potest denique an locus sit applicationi can. 1310, praesertim sub § § 1 et 3: «Fidelium voluntatum pro piis causis reductio, moderatio, commutatio, si fundator potestatem hanc Ordinario expresse concesserit, potest ab eodem fieri ex iusta tantum et necessaria causa

[...] In ceteris casibus recurrendum est ad Sedem Apostolicam».

Agiturne, nostro in casu, de commutatione voluntatis fundatoris ad ipsam bonorum proprietatem quod attinet? Iudicio Rev.mi Promotoris Iustitiae commutatio nostro in casu haud est possibilis. Et hoc praesertim quia non datur «iusta et necessaria causa», de qua in textu canonis.

Etenim, breviter dictu, non est necessarium, ad apostolatum utriusque Societatis, ideo etiam illius Y, exercendum, ut bonorum *proprietas* ab una ad alteram transferatur, sed sufficit, exempli causa, ut Societas mulierum omnium bonorum, immobilium et mobilium, quae nunc in proprietate Societatis virorum sunt et quae tamen requiruntur ad apostolatum mulierum exercendum, *usum* vel *usufructum* habeat.

10. Actus autem Congregationis aliter quis intellegere potest. Id est, non ut actus, quo ipsa ius reale proprietatis ab uno ad alterum subiectum transferre, sed quo solummodo obligationem in capite alterius subiecti aliquid faciendi in favorem alterius constituere intendebat. Et ergo Congregatio obligationem in capite Societatis virorum transferendi proprietatem aliquorum bonorum in titulum Societatis mulierum constituere volebat.

Et ad rem Congregatio illam auctoritatem invocabat quam ipsa habet super omnes personas iuridicas sibi subiectas (cf cann. 590; 732).

In textu, enim, decreti impugnati sub fine legimus: «Ai responsabili del ramo maschile e del ramo femminile si in-

giunge pertanto di compiere in modo civilemente valido gli atti necessari perché la divisione dei beni prospettata diventi effettiva. Contestualmente si incarica il Rev.do L ad assistere i due rami nel rendere effettivo ed operante quanto sopra disposto e a trovare una soluzione adeguata ai problemi che potrebbero derivare "dall'attuazione dei progetti di divisione dei beni".

Verba modo citata ("perché la divisione dei beni sopra prospettata diventi effettiva", "nel rendere effettivo ed operante quanto sopra disposto" et etiam "dall'attuazione del progetto di divisione dei beni") innuunt quod divisio non erat adhuc facta, non erat adhuc in actum redacta; erat solummodo adumbrata, erat solummodo quoddam propositum.

In textibus parallelis, idest in litteris diei 15 m. Iunii a. 1999 ad Rev. L, ad Superiorem Generalem Societatis mulierum, ad Directorem Generalem Societatis virorum, necnon ad Exc.mum Archiepiscopum N, semper agitur de decreti "attuazione" vel de "rendere effettivo" decretum ipsum.

Legitur, ex. gr., in litteris ad Societatem virorum: "Con un apposito Decreto qui allegato è stata operata la divisione dei beni che deve diventare effettiva in quanto costituisce una norma per le due parti interessate". Et paulo infra: "Si è certi che non Le sfuggirà la forza vincolante che questo Decreto [...] e si esprime fiducia che quanto ivi disposto verrà da Lei attuato con generosa docilità".

Evidens proinde est quod Congregatio obligationem ("forza vincolante") imponere intendebat, quam actuare Societas virorum debebat.

Et ratio ob quam Congregatio hanc tantummodo obligationem imposuisset,

haberetur cum Congregatio non posset disporre de bonis quae non essent alicuius subiecti ecclesiastici. Posset tamen praecipere ut personae physicae quae subiectum civile regunt faciant acta necessaria.

Legitur utique in textu impugnati decreti: "Questo Dicastero con il presente decreto attribuisce i beni ai rispettivi rami", sed verbum "attribuisce" non significaret, nec significare quidem intenderet, "tribuit proprietatem", sed significaret solummodo "indicat quod bona debent distribui modo sequenti".

11. Sed neque haec obligatio, iuxta hanc novissimam decreti interpretationem, probanda est. Si enim Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae translationem ipsius iuris proprietatis directe et per se actuare non potest, prorsus non intelligitur quo iure ipsa per oboedientiam Societati virorum imponere possit "di compiere in modo civilemente valido gli atti necessari perché la divisione dei beni prospettata diventi effettiva".

Aliis verbis, obligatio a Congregatione imposita, etiamsi non sit translatio iuris proprietatis directe ab ipsa in casu peracta, finefinaliter tamen eundem effectum secumferret, scilicet translationem iuris proprietatis per oboedientiam impositam a Societate virorum peractam.

Potestastis defectus facilius intellegitur si bene interpretatur actus translationis proprietatis. Nam proprietatis translatio modificat radicaliter et pro semper conditionem patrimoniale alicuius subiecti.

Ita non videretur dicendum relate ad alios actus, sicut sunt, exempli gratia,

constitutio alicuius iuris realis, sicut usufructus vel usus.

QUIBUS OMNIBUS PERPENSIS

12. Infrascripti Patres pro Tribunali sedentes, Christi Nomine invocato, solum Deum prae oculis habentes, proposito dubio respondendum esse decreverunt ideoque facto respondent:

«AFFIRMATIVE, seu constare de violatione legis in decernendo relate ad decisionem Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae diei 15 iunii 1999».

Pro expensis retineatur cautio apud arcam H.S.T. deposita. Unaquaeque pars honoraria solvere debet Cl.mo suo Patrono.

Quam sententiam iusserunt notificari omnibus quibus de iure, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 28 m. Iunii a. 2003

(Signati)

Marius Franciscus Card. POMPEDDA,
Praefectus

D. Simon Card. LOURDUSAMY
Augustinus Card. CACCIAVILLAN

✠ Iulianus HERRANZ

✠ Eduardus DAVINO

✠ Franciscus COCCOPALMERIO,
Ponens

✠ Thomas Georgius DORAN

✠ Xaverius ECHEVARRÍA RODRÍGUEZ

Die 25 m. Septembris a. 2003
Notificetur

✠ Franciscus Xaverius SALERNO,
Secretarius

Vincentius CÁRCEL ORTÍ,
Moderator Cancellariae